Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1333
Quelle:
Copyright:

gite. 2) Sermones VI. pariter omnes auſpicantes: *Cum jejunatis* &c. 3) Nota de Praedicatis in Divinis, quae ſupra Subſtantiam, et quae ſupra Perſonas cadunt. 4) Indiculus Numerorum ſex columnis, videlicet: *Cardinales*, *Nomina Numerorum*, *Ordinales*, *Diſpertiui*, *Aduerbiales*, *Ponderales*, ab Unitate ad Millenarium. Ita v. g. *Mille. Millenarius. Milleſimus. Milleni. Millies. Millecuplum.* 5) Formula Literarum, qua Plebanus Plebizanum Pontifici pro abſolutione a perpetrati Homicidii culpa commendat.

DXCI.

U. 307 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 152. f. per duas columnas maximam partem eleganter exaratus, minio diſtinctus, et olim, ut praefert, Collegio Ducali *Wienne* donatus a *M. Petro de Pirchenwart* non ſemel jam memorato ſequentia complectitur: I. ut e calce adſumo, *Queſtiones de ente diſputatas et determinatas a fratre Petro thome de ordine fratrum minorum in ſtudio Barchinone.* Ineunt illae: *Sicut dicit philoſophus 1°. phiſicor. c. 15. Primum eſt ſecundum naturam communia dicere et ſic circa vnumquodque propria ſpeculari. ignoratis enim communibus ignorantur et propria* &c. A Transſcendentalibus igitur auſpicandum, inter quae primum et praecipuum locum *Ens* teneat. De hoc porro Quaeſtiones III. conſurgunt, quae in multas alias ſubſecantur. *Primo inquiretur de conceptu entis. 2°. de conſequentibus ipſum. 3°. de primis partibus ipſius entis.* Atque haec ea ſubtilitate diſſeruntur, quam a *Scoti* diſcipulo expectes.

II. *fol.* 47. iterum e calce: *Queſtiones de diſtinctionibus formalitatum determinate per fratrem Petrum thome dum eſſet Lector in conuentu barchinonen.* Initium eſt: *Ad primum ſic proceditur et videtur quod ad diſtinctionem eſſentialem non requiratur neceſſario poſſibilitas ſeparationis* &c. Proceſſus ejusmodi IX. ſunt, et poſtremus finit: *ſicut patet in realitate generis et differentie reſpectu ſpeciei, et materie et forme reſpectu compoſiti ipſius.* Mirum, quod ipſae *Quaeſtiones* abſint.

III. *fol.* 67. *Incipit quodlibet ipſius.* Titulus hic a ſecunda manu minio reſcriptus eſt. Quaeſtionibus miſcellaneis philoſophicotheologicis XXV. conſtat, ad quas ita ingreditur Autor: *Deus fecit hominem ſimplicem et rectum et ipſe infinitis ſe miſcuit queſtionibus. Eccleſ. 7. In quo quidem verbo innuitur generis humani ſtatus* &c. Ultima Quaeſtio eſt: *Vtrum ponens creaturam habuiſſe aliquod verum eſſe reale poſſit ſaluare creationem;* et ejus concluſio: *et in ipſa etiam prehabet aliqualiter id, quod fit eſſe ſubiectiuum.* En igitur Tractatus III. acuti Scotiſtae, de quo nihil *Fabricius*, nihil *Bayerius* in nova Edit. *Bibliothecae Hiſp. Nic. Antonii.* Solus *Waddingus* in *Scriptt. O. M.* nomen Viri, et V. Opera memorat, inter quae de noſtris non niſi *Tra-*